QVÆSTIO MEDICA 595

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIII. IANVARII, MAGISTRO CLAVDIO LIENARD, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

Nocetne ſanguinis per os effuſioni venus?

OMNIS ſanguinis ſurſum facta profuſio, vel naturæ robore peragitur, iuueni febris experti, in præcordiis & viſceribus illæſo, εὐσάρκῳ, morbi à multo ſanguine ὠφελίαν adferens: vel vi morbi, quæquidem inutilis eſt & raro ſponte deſinit: vtriuſque profuſionis immediatæ & coniunctæ cauſæ, ſunt ipſi morbi quos genus hoc ſymptomatis comitatur. Ῥῆξιν frequentiùs parit caſus, ictus, ſaltus, oneris grauis ſublatio vel geſtatio, frigus vehemens & flatuum copia: Ἀνάβρωσιν laxi, mollis & tenuis vaſis, committit mordax & erodens humor: Ἀναστόμωσιν, ad quam διαπήδησις perpetuo eſt referenda, efficit ſanguis copioſior, tenuior, atque calidior.

QVAMCVNQVE vero habebit ex his cauſam ſanguinis per os reiectio, iuuenibus quam pueris, aut ſenibus, erit familiarior, ſæpiuſque ἀναστομώσεως & ἀναβρώσεως ratione, æſtate, quam aliis tempeſtatibus, vt ῥήξεως qualibet anni parte continget. an per ἀναστόμωσιν frequentiùs ſanguinea redditur ſpuitio? ita eſt. Hic ſanguis ſi quâ ſolebat prius viâ per vaſis apertionem deriuari ampliùs nequiuerit, in vicinam curſum inflectit: Vndè ſi quis crebro ſanguinem è naribus, reſeratâ venâ eò deſinente effundere conſueuit, hâc hæmorragiâ ſuppreſſa itineriſque ſueti natura immemore ex oris palatíque ſedibus fiet ἔκπτυσις αἱματηρά.

QVÆ ſanè pro loci vnde ſanguis erumpit dignitate, periculoſior exiſtimabitur: is enim à gingiuis & ore toto, expuitione ſimplici, à faucibus ſcreatu eijcitur, tuncque minùs eſt periculi; à ventriculo cum vomitu, à thorace cum tuſſi & dolore exit, quo pacto ægri magis terrentur quàm medici; à pulmone denique cum tuſſicula & ſine doloris ſenſu educitur, maximo medicorum, non ægrorum metu; niger & cibis immixtus ſanguis à ventriculo, nigricans & grumoſus à thorace, ſpumoſus à ſolo pulmone egeritur; ſi ab hepate dolebit hypochondrium dextrum, ſi à liene ſiniſtrum. à quibus non tantum periculum imminet quàm à vitalibus, multóque tutiùs atque expeditiùs in ventriculum, quàm in pulmones, ſanguinem ſuum hepar & lien eructant.

IN quo ſymptomate compeſcendo, etiam poſt habitâ morbi curatione, totus debet eſſe medicus: atque vt illa venæ ſectione, interioris potiùs cubiti quàm ſaphænæ, blandâ catharſi, medicamentis ſanguinem inſpiſſantibus, ſtypticis tam aſſumptis quàm admotis (quibus tum calida, tum tenuium partium immiſcere haud abſurdum eſt) vlcus denique ipſum glutinantibus, perficitur: ſic ſymptomati optimè conſulitur, ſi corpori quies imperetur, animi pathemata propellantur, ſomnus vigiliis præferatur, victu tenui æger vtatur, aër ſiccus & ad frigidum vergens comparetur, ligaturæ dolorificæ, & aſperiores extremitatum frictiones fiant; ſi demùm lapis hæmatites præſcribatur, coagulo hoedino interdicatur.

AT quem adeò graue ſymptoma comitatur, veneri ſi indulgeat, damníſne propterea ipſe augebitur? dubitas? ſi in aurea rerum omnium mediocritate conſtitutis, (quibus ſolis venus innoxia) hâc tamen abutentibus ſanguinis per os effuſio contingat, vt ſæpè fit, nunquid putas ſanguinem iam expuentibus, & ab εὐεξίᾳ remotis, quolibet vſu venereorum ipſum ſanguinis ſputum inualeſcere? nunquid in anagoge per os à ῥήξει adhuc magis vaſa motu dilacerat, à διαβρώσει ſanguini inductâ feritate, venarum eroſarum renutritionem impedit? ab ἀναστομώσει inuecta maiori in ſanguinem caliditate, tenuitate & ad fluxum facilitate, venus prohibet vlcus vniri, glutinari?

Nocet ergo ſanguinis per os effuſioni venus.

Propugnabat Lutetiæ GVLIELMVS BELET Pariſinus, Anno R. H. M. DCXX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Renatus Moreau.	*M. Lazarus Pena.*	~~*M. Gabriel Biart.*~~
M. Gaſpar Brayer.	*M. Iacobus Couſinot.*	*M. Hieronymus Goulu. Prof. Reg.*
M. Dionyſius Allain.	*M. Petrus de Beaurains.*	*M. Henricus Blacuod. M. R.*
		M. Gabriel Biart.